



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd nedum manu, sed etiam intus Spiritu volunt impleri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

lium: lex, omnis caro fœnum: Euangelium, & reuelabitur gloria Domini. Et Christus Marci 1. Pœnitenti, inquit, & credite Euangelio. Non igitur sola fides, gratia, misericordia, remissio peccatorum, sub prætextu Euangelicæ concionis est coram simplicibus & rudibus iactanda: Sed & altera quoque pars scripturæ, nempe de obseruantia legis, operum, timoris, pœnitentiæ, obedientiæ, & id genus reliqua, est inculcanda populo, ne in securitatem ducatur, sicut hodiè videmus, & putet esse pacem ibi, vbi non est. Fides enim de gratia & remissione, nihil est absque pœnitentia, vtrunque ergo doceri debet & notari.

Error Iudæorum est, quòd lex solùm exigat manum id est, opus externum in obseruantia præceptorum, nihil interim de cordis motibus cogitantes, vt scilicet non manu quispiam occideret, opere non adulteraretur, &c. Atqui Christus in expositione legis Matth. 5. & 6. exigit etiam cor atque affectus, vt nedùm non occidas, sed etiam ne vel corde, vel ore irascaris: nedùm non mœcheris opere, sed non concupiscas etiam animo alienam mulierem. Igitur lex vult spiritu impleri, vt est spiritualis, Rom. 6. Igitur & in Euangelio datur Spiritus sanctus, qui per fidem purificat cor, & donat potestatem obseruandi præcepta, id est, ipse infundit motus cordis consentientes legi Dei, scilicet fidem, dilectionem, timorem, &c. quibus lex seruatur & impletur. Nam hos motus caro ex se efficere non potest. Vult autem cuique assistere Spiritus sanctus & adiuuare, vt præcepta seruentur, modò quis illum non recuset & contemnat. Igitur non excusantur, qui dicunt, Non possum seruare diuina præcepta.